

















1668.


21. Francken, Jo. Nicolaus: Tribunus plebis.
22. Hundeshagen, Joh. Christophorus: De conscientia
23. Linck, Hieronymus: De advocatis.
24. <sup>1. et 2.</sup> Linck, Hieronymus: Jura templorum dissertationi  
de encasibus adjecta. 2. Aufl. 1668. 1731.
25. Linck, Hieronymus: De encasibus templorum.  
Rec. 1713.
26. Lynckius, Nicolaus Christophorus: De jure restituenda  
re famae. Rec. 1727.
27. Müllerus, Philippus: De incrementis imperiorum.
28. Richter, Christophorus Philippus: De juribus episcopale-  
bus.
29. <sup>1. et 2.</sup> Richter, Christophorus Philippus: De hyperocha,  
sen de eo, quod amplius est in figura.
30. Sagittarius, Paulus Martinus: De jure naturali.
31. Schroeter, Ernestus Fridericus: De thesauris
32. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De beneficiis vel excep-  
tione bonorum excusationis.



1668

33. Schroeter, Ernestus Fredericus : De remediis restitu-  
tionum in integrum.
34. Schroeter, Ernestus Fredericus : De tributis et censibus.
- 35.<sup>1. 2.</sup> Schroeterus, Ernestus Fredericus : De immoderata  
arbitrari consuetudine. 2 Exempl. 1668 & 1719.
36. Schroeterus, Ernestus Fredericus : Testamentos restitutos  
et institutos
37. Schroeterus, Ernestus Fredericus : De septem quartis
38. Schroeter, Ernestus Fredericus : De legitimacione  
in communis et in specie





of

is





33

34

35

36

37

38



1077

~~XXIX~~

באלהים  
SPECIMEN ACADEMICUM

1668, 22

DE  
CONSCIENCIA,

2

Quod  
SUPREMO NUMINE CLEMENTER  
ADSPIRANTE

In Illustrissimâ Almâ Salanâ

SUB

ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ

*Viri Praecellentis & Praeclarissimi*

DN. M. JOH. CHRISTOPHORI

Hundeshausen / AMPLISSIMÆ FACUL-

TATIS PHILOSOPHICÆ p. t. ADJUN-

CTI LONGE CELEBERRIMI

MERITISSIMI.

*Publica Φιλοσοφούντων Συζητήσει subicit, ac disputando  
pro viribus defendere & tueri conatur*

STEPHANUS FUHRMANNUS,

EX VVESTPHALIS LIPPIENSIS.

In Auditorio Philosophorum

H. L. Q. C.

*Ad diem Julii.*

—  
F E N Æ

Stanno Sengenvaldiano,

ANNO M. DC. LXIIX.







VIRIS

*Reverendis plurimum, Præcellentibus, atque  
Præ-Clarissimis*

DN. M. STEPHANO FUHRMANNO,  
MINISTERII SENIORI.

DN. NICOLA OGETHERO.

DN. ARNOLDO MÖNNICHIO.

DN. M. JOHANNI KELLERHUSIO.

DN. M. HENNINGO VOLCKMARO.

Pastoribus de Ecclesiâ, quæ Christo colli-  
gitur Lipstadii longè merentissimis, vigi-  
lantissimis,

*Dominis, Parenti amore, honore, & grati animi obser-  
vantia æternùm venerando, Mæcenatibus, Patronis &  
Evergetis suis multis nominibus observandis,  
maximè semper honorandis.*

Συζήτησι *hanc* περί συνειδήσεως ἠθικῆν

In debita observantia τεκμήριον  
Gratæ mentis σύμβολον, &  
Studiorum suorum monumentum  
Offert,

Dedicat,

Consecratque

STEPHANNUS FUHRMANNUS,  
SS. Th. Studiosus.





Σὺν Χεῖρὶ τῷ Παμμειγίστῳ!

§. I.



Conscientiam, quæ si bona beatæ, si mala miseræ vitæ comes est & pedissequa individua, dari in homine, sat operosis justoque pluribus verborum multorum lenociniis probare est in sylvas ferre ligna & incassum laborare; siquidem hoc ocularis, quæ optima rerum magistra, experientia, quotidie testatur, quod quilibet hominum testem factorum suorum & judicem in corde & sinu suo sentiat, qui si quid bene agit, ipsum laudat & solatur, adeo, ut contra per-versa malevolentium hominum judicia ad Conscientiæ suæ judicium provocare possit; sin verò sceleratè impieq; aliquid committit, aut in re aliquâ delinquit, monitorem à maleficiò revocantem, & post scelus admissum judicem accusantem & damnantem comperiat, à quo miserrimum in modum exagitur, castigatur, affligitur, flagris quasi cæditur & furiarum tædis ardentibus semper terretur: Hinc *Plutarchus*, qui summam Philosophiæ scientiam cum historiarum eloquentiâ conjunxit, non minus eleganter, quàm verè dixit: *facinorosa Conscientia instar ulceris in corpore, pœnitentiam relinquit in animâ lancinantem jugiter ac pervellentem.* Eos igitur, qui impudenti ore effutire non erubescunt, *se nullam persentiscere Conscientiam*, jubemus, ut in se ipsos descendant, omnes eosque intimos animi recessus scrutentur sedulo, profectò in imis cordis sui visceribus rationis judicium, quod Conscientiam appellamus, persentiscent. Hujus rei locupletissimus testis est *Tullius*, exundans ille eloquentiæ fons, qui pro *Milone* appositè & ad rem dixit: *magnam vim habet Conscientia in utrâq; partem, ut semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccaverint & nihil timeant, qui nil admisserint.* Quæ res si adhuc dubia esset, possemus relictis gentilium dictis,

A

exam-



exemplis, rationibusque ponderosissimis, provocare ad divinarum legum monumenta, quæ sapiens mentionem faciunt bonæ Conscientiæ, homines ad Conscientiam suam provocantes & ad ejus judicium remissos adducunt, & denique curam Conscientiæ in proximò & nobismet ipsis sedulò commendant, quâ de re vide sis B. Dn. D. *Balduinum lib. de Casib. Consc. cap. 1.* Conscientiam itaque dari nemo, nisi extremè malitiosus sit, seipsum nesciat, suamque salutem negligat, inficias ire poterit.

§. 2. Unde autem vox Conscientiæ dicatur, non una est Autorum sententia: *quidam* existimant, Conscientiam vocari ita quasi sit concludens scientia seu syllogismus practicus, quò intellectus judicet, quid honestum, quid turpe, quid præceptum, quid prohibitum: in eo Syllogismo majorem dicunt esse desumptam ex lumine naturæ vel etiam revelationis e. g. qui sanguinem humanum effundit, sanguis etiam effundetur; jam subsumit Conscientia homicidæ; tu sanguinem humanum effudisti: hinc concludit sibi ipsi sententiam; E. tuus etiam sanguis est effundendus: *Nonnulli* Conscientiam dictam volunt, quasi corporis scientiam: hinc *Hugo lib. 2. de anima cap. 12. cor & se novit suâ scientiâ & multa alia quando novit se appellatur Conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia.* Hæcque sententia, probatur ex Eccles. c. 7. 23. ידע לבך quod Vulgatus reddidit: *novit Conscientia tua.* *Alii* verò autumant, Conscientiam, quod vim vocis spectat, denotare scientiam cum aliis, quia qui aliquid patrârunt, scientes facti habent (1.) *Deum*, quippe qui rerum, testis & scrutator cordis vocatur Sap. 1. 8. ipse enim perfectè omnia, quæ sunt in homine & in intimis animi penetralibus abdita, novit & perscrutatur. Deinde si facta sunt externa, vel si secretiora etiam forsitan revelantur, aut certis indicis patefiunt, tunc conscios facti (2.) habent *Angelos* tam bonos, qui omnium actionum humanarum spectatores, & bonarum quidem approbatores, malarum verò osores & accusatores; quàm malos, qui & ipsi earundem spectatores, & ob bonas quidem contristantur, ad malas autem incitant, easdem promovent & juvant. Præterea factorum suorum (3.) conscios habent alios *homines*, nihil enim tam in occultò agitur, quod non aperiat dies. Hinc putârunt

Con-



Conscientiam esse quasi cum aliis scientiam, quia non solus homo factorum suorum conscius est, sed & alii multi. Denique nonnullis Conscientia fuit quasi cum alio scientia. *Est enim moralitudo scientia ad aliquem actum, qui revocatur ad legem iudicii Dei, qui tribunal aliquod in cordibus nostris erexit. Ille primum scit, quid prescripserit & probaverit, nec ne: deinde nos ex testimonio cordis nostri conscimus, ut inquit Cl. Martinus in Lex. Etym.* Et sic Conscientia nihil aliud erit quam applicatio scientia ad aliquem actum aut faciendum aut non faciendum, vel etiam ad iam factum, de quo iudicet, an recte an secus sese habeat, *sunt verba Thomae de Aquino Sum. Theol. q. 79. art. 13. in concl.* Confer pl. Reverend. Dn. Dilher. Dissert. de Consc. & B. Balduinum c. 1.

§. 3. Definitur autem Conscientia *Spinoza* accepta à B. Hornejo lib. 3. Philosoph. Moral. c. 4. ex Vasquez. in l. II. Tom. I. Disp. 59. a. 1. quod sit *iudicium intellectus, quod dicitur, bonum, quid, aut malum, in vita esse.* Secundum alios dicitur dictamen rationis, quò facienda & omittenda dijudicantur. Quae definitiones dignae sunt, ut accuratius examinentur, & singulae particulae explicentur.

§. 4. Considerandum autem primò omnium occurrit Conscientiae genus, quod dicitur *iudicium intellectus.* Ubi sciendum, inter Autores contradictionis ferram valde reciprocari in assignando genere; alii siquidem per habitum, alii per potentiam, alii per actum intellectus definiunt Conscientiam, ex quibus omnibus posterior sententia videtur esse potior & in Scholis Moralistarum receptior. Est autem iudicium intellectus nihil aliud, quam quidam actus intellectus, quò scilicet discernitur & dijudicatur, hominiquè suggeritur & proponitur, quid legi divinae vel naturae consentaneum aut dissentaneum sit, aut in universum quid fieri & non fieri, quid committi aut omitti debeat. Licet enim lex divina & naturae prima & unica norma sint actionum humanarum, dijudicentque & suggerant omninò, quae facienda & non facienda; non potest tamen haec ipsa norma suo officio fungi, nisi cognoscatur & operi faciundo applicetur. Quemadmodum enim LL. Civiles norma sunt, ad quam



tota Respublica componitur, & secundum quam dijudicatur, sed remotior, quam scientia istarum legum; tūm enim demum lex obtinet, cūm ad notitiam vel pervenit vel pervenire potuit: ita etiam lex naturæ & divina præcipuum, sed paulò remotius principium sunt actionum omnium, proximum verò legis utriusque cognitio, à quâ dependent, & ad eam ut amissim exiguntur actus omnes, ut rectè faciat, qui id agit, quod faciendum. Conscientia recta præcipit, malè, qui non agit, quod illa jubet & suadet, ut docet Thomas l. II. q. 19.

§. 5. Deinde dicitur *intellectus* iudicium, ut innuatur, esse quidem eam omninò in creaturis, quæ ψυχῆς νοητικῆς seu rationis sunt compotes, non tamen in illâ facultate, quæ βῆλησις voluntas (Stagirita etiam aliàs ὀρεξις seu appetitus: interdum simpliciter, ut l. I. ad Nicom. c. ult. interdum cum appositō ὀρεξις λόγῳ & κτ' λογισμὸν l. 3. de anima t. 24. & 50. ut distinguatur ab appetitu, qui est ὀρεξις λογισμὸν, seu sensitivo) dicitur; sed in eâ, quæ Græcis νῆς seu intellectus vocatur. Frustra E. sunt illi, qui Conscientiam aut ad voluntatem, aut ad voluntatem & intellectum simul referunt, quorum sententia hōc unicō argumentō prosterni potest: Cujuscunque actus sunt cognoscere, iudicare, præscribere, obligare, illud non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum; sed Conscientiæ actus sunt cognoscere, iudicare, præscribere, obligare, E. Conscientia non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum. Minorem nemo, nisi Coræbo stultior sit, negabit: major autem stabilitur exinde, quia intellectus est, cognoscere & iudicare, non voluntatis, cūm hæc sit potentia cæca & nihil possit appetere, nisi prius ab intellectu fuerit cognitum & bonitas aliqua in eo apprehensa. Nec obstat, quod oggerit Bonav. Tom. 2. dist. 30. l. 2. a. 1. q. 1. intellectum nempe versari circa verum & falsum tanquam proprium suum objectum, voluntatem autem circa bonum & malum, cūm enim Conscientia etiam versetur circa bonum & malum, idcirco eam potius ad voluntatem quàm ad intellectū referendam esse. Antequam ad hoc respondeatur, notandū est ex lib. 3. de anima c. 7. r. 30. & c. 10. r. 49. intellectum esse duplicem θεωρητικὸν & πρακτικὸν: ille dicitur, qui rem saltim cognoscit & apprehendit, ad opus autem



autem non ordinat, etenim *ἡ δὲ νόμος πρὸς αὐτὸν ἐστὶ λέγει περὶ Φ.δ. κτλ καὶ δὲ νόμος ἡ δὲ νόμος*, ceu ait Arist. l. alleg. c. 9. t. 46. Hic autem versatur circa agibilia & præscribit praxin seu operationem aliquam, e. g. speculativus, quid sit virtus, cognoscit, practicus, virtuti operam esse dandam, præscribit. Et sub hoc intellectu practico Conscientia, quæ propterea etiam à Damasceno *lex intellectus* indigitatur, comprehenditur. Hisce prælibatis haud difficile erit ad objectum Bonaventuræ respondere dicendo, quòd bonum & malum etiam suo modo pertineant ad intellectum, scilicet practicum, quatenus nempe illud cognoscitur ut *bonum*, hoc ut *verum malum*.

§. 6. Porrò dicitur in definitione, quod conscientia *dictitat*, quò innuitur finis ejus verus & proprius, qui est statuere seu pronunciare de rebus gestis & gerendis; dum nimirum homini interiùs suggerit, hoc honestè posse fieri, illud non posse: hoc benè factum, illud secus. Et quidem hoc dupliciter potest fieri, vel ita ut Conscientia aliquid statuatur, & interiùs homini dictitet de rebus factis aut omissis, quod monente *Becano* fit per actum intellectus *speculativum*, quò modò dicimus homines ob hoc vel illud perpetratum delictum habere Cōscientiam sauciatam, qualem Tiberius Caligula & multi alii Tyranni habuisse dicuntur apud *Clarss. Heiderum in Philos. Moral. part. 1. p. m. 142.* Vel de rebus faciendis aut omittendis, quod fit per actum intellectus *practicum*, ut quando Conscientia *dictitat*, Deum esse colendum, parentes esse honorandos, quæ res certò sunt faciendæ, item furtum non esse committendum, nec adulterium nec homicidium, quæ sunt fugienda. Impræsentiarum ratio potissimum habetur Conscientiæ non priori, sed posteriori modo acceptæ.

§. 7. *At verò inquis:* Quicquid est officium proprium legis, illud non potest tribui Conscientiæ; sed dictitare & præscribere faciendæ & omittendæ est proprium officium legis. E. idem non potest tribui Conscientiæ. Ad hoc *B. Galixtus in Epit. Theol. Moral. de principiis action. p. 18.* respondet, distinguendo inter normam & principium actionum nostrarum remotum & propinquum. Lex naturæ est norma & principium actionum no-



strarum remotum: Conscientia autem, quæ est legis cognitio & ejusdem ad actiones nostras applicatio, est principium propinquum. Hinc rectissimè à B. Hornejo Conscientia vocatur quasi *præco legis naturæ & divinæ*, quia homini suggerit & proponit, quid utriusque sit consentaneum aut dissentaneum, aut in universum quid fieri vel non fieri debeat.

§. 8. Denique dicitur, quod dicat *bonum quid, aut malum in vitâ esse*: quibus verbis non significatur, quasi Conscientia, semper dicat, bonum reverà tale esse faciendum, ac malum, reverà tale esse fugiendum. Sic enim non daretur erronea Conscientia, quippe quæ id, quod verè malum, non fugiendum, sed faciendum, nec verè bonum faciendum, sed fugiendum esse dicat: sensus igitur est, quod dicat aliquid, tanquam bonum esse faciendum, sive in se & reverà sit bonum, sive non: & aliquid tanquam malum esse fugiendum, sive in se & reverà malum sit, sive non sit. Dicit autem aliquid in vitâ bonum aut malum esse, dum nimirum id, de quo statuit, cum aliâ quâdam comparat normâ, quam recognoscit quasi, & citra quam nihil rectè dictare potest; norma autem illa & regula, quæ hanc auctoritatem, habet, ut Conscientia ei sese subjicere debeat, est Lex tum divina tum humana. Legem divinam habere vim Conscientiam devinciendi & sibi subjiciendi, extra alex controversiam positum est; etenim Deus, Summus ille Legislatores, est *Dominus Conscientiæ* & absolutam habet potestatem, ob violationem legis suæ totum perdere hominem.

§. 9. Quod verò attinet LL. humanas, quæ de indifferentibus, adiaphoris, seu de tali statuunt *ὁ θεὸς ἐξ δεξιῶν ἀπέχει τῶν ἡ ἀλλῶς*, dicente *Arist. l. 5. ad Nicom., c. 10.* Controvertunt inter se Autores, an & illæ leges civiles, quia humanâ auctoritate tantum feruntur, habeant vim Conscientiam obstringendi? Sunt qui inficias eunt, tantam esse efficaciam LL., civilium purè talium, ut ipsam Conscientiam obligare possint, *ratio ipsorum, redit hæc*, quia ab hominibus feruntur, qui dominium in Conscientiis sibi arrogare nec possunt nec debent, hoc enim sibi soli Deus Ter Opt. Ter Max, reservare voluit. Hinc pro suâ sententiâ sic concludunt: *Quicumq; potestatem in Conscientiis nullam ha-*



habent, nec conscientias dominari possunt, illi nec legibus obstringere nec obligare possunt Conscientias: sed Magistratus Politici nullam habent in Conscientias potestatem nec illis dominari possunt. E. etiam non possunt eas Legibus suis devincere & obligare. Majoris veritas elucet ex eò, quia nemo potest legibus obligare eos, qui non sub suâ potestate sunt; Minor autem in aprico est: nam soli DEO competere dominium in Conscientias, adeò certum est, ut in proverbium abierit; nihil esse crudelius, quam hominem velle dominari Conscientiis. Hisce etiam ἰεροψήφιστα Calvinus, qui dicit, legibus humanis, quæ ad forum externum, non verò internum pertinent, Conscientiam obstringi non posse, quia id repugnat libertati Christianæ, & Magistratus non judicet de hominum Conscientiâ.

§. 10. At enim verò, quicquid sit de hisce, verior tamen est sententia, quam etiam omnes Orthodoxi defendendam suscipiunt, leges scilicet humanas habere etiam vim obligandi Conscientias, id quod tum ex Naturæ lumine, tum etiam ex Scripturæ testimoniis sufficienter & affatim ostendi potest. Et quidem ex Scripturæ testimoniis duo sunt cum primis longè evidentissima, quorum unum habetur in 1. Pet. 2. v. 13. 15. ὑποτάγητε πίσση αὐθροπίνῃ κτισεὶ, ἄλλ' τὸν κύριον, subditi estote cuiusvis humane creature propter Dominum &c. ὅτι ἔτις ὁ θεὸς τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, quoniam sic est voluntas Dei. Alterum exhibet magnus gentium Doctor Rom. 13. v. 5. διὸ ἀνάγκη ὑποτάσεσθε, ἢ μόνον ἄλλ' τὴν ὀργάνῃ, ἀλλὰ καὶ τὴν συνείδησιν, h. e. subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter Conscientiam. Ex quibus pro nostrâ sententiâ talismodi formamus ratiocinium: Quicumque non obtemperat Magistratui politico, peccat & agit contra Conscientiam: sed qui leges à Magistratu latas despiciatui habet & spernit, non obtemperat Magistratui. E. qui leges à Magistratu latas spernit, peccat contra Conscientiam. Utraque propositio verissima & Scripturæ conformis est, stat E. firmò talò conclusio.

§. 11. Porrò LL. civiles obligare in Conscientiâ ex Naturæ lumine, ostenditur hâc ratione, quia omnis lex humana, si-

qui-



quidem iusta & ad bonum publicum promovendum lata est, fundatur in ipsa lege naturæ, quisquis igitur LL. civiles transgreditur, consequenter etiam peccat contra leges naturæ, adeoque sic agit contra Conscientiam. Hinc non minus rectè quàm eleganter *Cajetanus in Thom. in l. II. q. 96. a. 5.* legem æternam causæ universali, civilem autè causæ particulari comparat dicendo: *Ex propria voluntate principis, & ex æternâ lege vim obligativam in foro Conscientiæ lex humana habet, quamvis diversimodè, quia ab æternâ lege, sicut à causâ universali, à voluntate verò principis, sicut à determinante causam universalem ad effectû particularem.* Quam rem perspicuè more consuetò explicat Excellent. Dn. D. Petrus Musæus in disp. post. de oblig. LL. civil. §. 14. h. m. quemadmodû, *inquiens*, causa universalis cõcurrit ad effectum actione, quantum in se est, indifferenti & indeterminatâ, ita ut simul & eodè respectu ad plures diversissimæ naturæ effectus cõcurrere possit, determinatur autè à causâ particulari ad certæ speciei effectum. Ita lex æterna seu potius lex naturalis ab æternâ lege derivata, quando dicitur, voluntati Magistratus esse obsequendum, non determinat particulares differentias ab objecto, conditione & circumstantiis oriundas, quæ obedientiam Magistratui præstandam, & per consequens legum ab ipso præscriptarum obligationem, certis limitibus circumscribunt, sed vi & efficacità, quanta in se est, indifferenti & illimitatâ concurrat ad omnium Legum civilium obligationem, utut ratione objecti & aliarum circumstantiarum mirè varient: at verò hæc ipsa lex naturæ deinde determinatur à voluntate Majestatis, & à lege civili ab illâ lata tanquam particulari causa ad has vel illas circumstantias & ad hoc vel illud objectum. Unde lege naturali Conscientia inducitur, ut legibus civilibus obtemperandum esse svadeat.

§. 12. Et quidem hæctenus actum fuit de iis LL. civilibus, quæ sunt iustæ & iustâ de causâ à legitimo Magistratu latæ. Quod si verò iniustæ sint, aliter erit sentiendum. Quod tamen ut rectius intelligatur, notandum est, LL. iniustas esse duplices (1.) quædam pugnant vel cum lege divinâ vel cum lege naturæ, & hæc sunt *intrinsicè & directè iniustæ*, has autem nullam obligandi vim



vim in foro Conscientiæ habere exinde colligitur, quia nullum  
fundamentum neque in lege divinâ neq; in lege naturæ habent,  
sed potius utrique contrariantur. Ex his autem quasi duobus  
fontibus omnis obligatio LL. civilium mediatè deducenda est,  
valet igitur hic illud Apostolicum Act. 5. v. 29. *πειθαρχεῖν δὲ θεῷ  
μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις*, *obedire Deo magis oportet quam hominibus.*  
Deinde LL. divinæ ac naturales obligant omnes homines. E.  
obligari non possunt legibus injusta præcipientibus, cum nemo  
obstrictus sit ad id, ut malum perpetret. (2) Leges injustæ di-  
cuntur *indirectè* & quodammodo *extrinsecè*, eò quod non sunt  
directæ ad subditorum utilitatem & Reip. salutem, licet aliàs  
nihil contineant, quòd directè pugnet cum lege naturali vel di-  
vinâ; & de his adhuc probabilius videtur; etiam illas obligare  
subditorum Conscientias, quia subditi sine exceptione Rom. 13.  
potestatibus supereminentibus obtemperare jubentur, & ipsi  
salvâ Conscientiâ non possunt ulli Magistratui resistere, cum A-  
postolo teste, obtemperandum etiam sit iniquo & injusto Ma-  
gistratui.

§. 13. Ad argumenta §. 9. allata jam respondendum erit  
& quidem ad 1. Resp. Distingvendo inter obligationem dire-  
ctam seu immediatam & indirectam seu mediatam. Si sermo sit  
de obligatione priori non invitis largimur manibus LL. civiles  
quatenus merè tales in foro Conscientiæ non obligare, etenim  
nihil sub obligationem directam cadit, quod non vel divinâ vel  
naturali lege præceptum. Leges autem civiles etiam de re in-  
differenti latæ, cujus oppositum neque bonum neque malum  
est, vim obligandi indirectè & mediatè habent, sicut patescit  
ex Scripturæ testimoniis, quæ suprâ citavimus. Rationes *Cal-  
vini* autem *calvas* esse, quilibet qui cerebrum non in calcaneo  
gerit, videt; nam obligatio LL. civilium in Conscientiâ mini-  
mè gentium repugnat libertati Christianæ. Hæc enim consistit  
in liberatione à servitute peccati, & à jugo legis Ceremonialis  
V. T. non verò in libertate ab obligatione LL. civilium. Postea  
licet vel maximè Magistratus non judicet de hominum Con-  
scientiis, potest tamen ferre leges, quæ obligant Conscientias &  
judicium de Conscientiâ ipsi Deo potest committi.

B

§. 14.



§. 14. Dispersitur Conscientia in Schölis Moralistarum, communiter in Rectam, Erroneam, Probabilem, Dubiam & Scrupulosam. Quæ divisio non est univoci in sua univocata, sed æquivoci in sua æquivocata, ut priores tres propriè & univocè, posteriores verò, æquivocè ac impropriè Conscientiæ audiant. Et pro hâc divisione salvandâ monemus ex *B. Hornejo l. 3. Philos. Moral. c. 4, §. 9.* quotuplex est, *inquiente*, judicium intellectus de re quapiam faciendâ (aut omittendâ), totuplex est etiam Conscientia; judicium autem illud tantum *triplex* est secundum tria argumentorum genera ex quibus deducitur, idcirco etiam tantum triplex datur propriè Conscientia, nempe *Recta*, quando scilicet judicium intellectus recto talo incedit, & ex immotis ac infallibilibus deducitur argumentis ac principiis: *Probabilis*: cum judicium intellectus nititur tantummodo opinione ex verisimilibus & rationibus probabilibus conceptâ cum formidine tamen oppositi. Et tandem *Erronea*, quando judicium intellectus vel affectibus abreptum vel alio quocunque modo seductum à viâ aberrat & sinistrè judicat. Cum autem dubitatio, ex quâ dubia, & hæsitantia intellectus, ex quâ scrupulosa Conscientia oritur, impropriè judicium intellectus appellentur, idcirco impropriè dictæ species vocantur.

§. 15. Conscientia recta vocatur ea, *quæ dicitur id faciendum aut omittendum, quod faciendum aut omittendum omninò est, sive, quod cum jure divino certò & indubitanter consentit vel pugnat.* Putâ si dicitur ratio, non esse patrandum homicidium; egenis esse succurrendum; non esse emendum, quod alii per vim nefasque fuit surreptum, Magistratui in æquis & justis esse obediendum; parentibus non in omnibus esse obtemperandum, quando scilicet jubent ut liberi veram deferant religionem & falsam accipiant. Hæc Conscientia simpliciter jubet, ut juxta ejus agatur præscriptum; peccaturque non solum si contra eam quis agat, sed etiam si non juxta eam agat. Quicumque enim non agit secundum id, quod jure divino aut humano præcipitur, is procul dubio peccat. At verò qui non agit secundum conscientiam rectam; ille non agit secundum id, quod jure divino & humano præcipitur, quia hæc Conscientiæ species & ejus dicta-



dictamen ex exacte cum lege divina & humana consentit. E. qui non agit secundum Conscientiam rectam peccat; ut recte annotat *Pl. Reverend. Dn. Dilherrus c. l.*

§. 16. Hic paucis explicandum est ex *B. Hornejo*, quomodo hæc Conscientia obligat: quæ res ut eò melius intelligatur, notandum, quòd interdum imperet, quòd factu est necessarium, quòdque in nostrò positum non est arbitriò ommittere, quale dictamen est, parentes esse honorandos, Deum esse colendum. Interdum verò svadet saltim aliquid esse faciendum, non ut necessarium, sed quia melius est hoc facere quàm non facere: prius est *precipere, imperare*; posterius *consulere* seu *svadere*. Similiter interdum vetat & prohibet aliquid tanquam necessariò fugiendum, ut non esse adulterium committendum; interdum verò tantum dissuadet aliquid, non ut necessariò fugiendum, sed quia melius est istud ommittere quàm facere; quale dictamen esset, si svaderet Conscientia recta ne hæc vel illà horà prodires in forum, cum facile in invidias inimici ibi præsentis incidere possis, melius enim est hoc ommittere, quàm facere: illud est *vetare* simpliciter, hoc *dissuadere*. Deinde distingvendum est inter homines, quibus præcipit aut prohibet, svadet vel dissuadet hæc Conscientia. Aut enim sunt sui juris, aut rem agunt ex mandato Superioris. His prælibatis dicendum est (1.) Si Conscientia recta quid imperat tanquam necessariò faciendum, & is, cui imperat, est sui juris, obligat ita, ut homini necessariò illud faciendum sit: Sin verò ex mandato superioris rem gerit, non obligat, ut necessariò illud faciat, obligat tamen, ne quid contra eam faciat, e. g. Conscientia recta præscribit, eleemosynas esse distribuendas, is jam qui suo arbitriò rem gerit simpliciter hoc dictamine obligatur; qui autem ab alterius imperio dependet, ita obligatur, ut se ita gerat, ne alteri noceat, licet ei eleemosynas non distribuatur. Quod si verò aliquid saltem svadet, id vel faciendum, vel non levisimã de causã negligendum est. Si quid autem tanquam necessariò omittendum vel fugiendum vetat, ita obligat, ut si quis sui juris est, illud planè ommittere & fugere debeat. Si verò Imperio Superioris sit subditus, & res errorem intolerabilem continet, mandatum non debet exsequi, si iudex

B 2

est, Si



est. Si verò exsecutor tantum est, & error non est planè intolera-  
bilis, statuunt Doctores, rem executioni posse mandari, nisi  
huic oneri superioris permisso sese subducatur. *Rem illustrat egre-  
giè exemplo B. Hornejus l. 3, Phil. Moral. c. 3. §. 9. qui videatur.*

§. 17. Hic quædam exsurgit quæstio, an nempe Conscien-  
tia recta semper obliget, ita ut nunquam contra ejus dictamen  
quis agere possit. Negativam videntur svadere seqq. (1) Præ-  
scribit Conscientia recta, neminem esse interficiendum, quod  
dictamen fundatur in Lege divinâ à Deo Magnò illò Monarchâ  
latâ Exod. 20. 14. *Ne occidito*: hoc tamen non obligavit vene-  
randi Patris Abrahami Conscientiam, quippe ad quem Summus  
LL. Conditor dixit: *Heus Abraham, assume nunc filium tuum  
unicum quem diligis Isaacum, & vade Tibi ad terram Morijah, &  
offer eum ibi in holocaustum.* Hinc Abraham sine culpâ filium  
suum mactare poterat; jubente ipsò Dominò Gen. 22. (2.) Con-  
scientia recta dictat furtum non esse committendum, hæc tamen  
non obligabat Israëlitas; cum argentea & aurea Ægyptiorum  
vasa secum auferrent. (3.) Suum cuique reddendum esse præci-  
pit Conscientia Recta, at non obligat, cum possessor est heluo  
vel furiosus.

§. 18. Antequam hæ objectiones resolvantur, prius distin-  
guendum est inter præcepta juris affirmativa, & inter præcepta  
negativa, ad quæ obstringit Conscientia. Aliter enim Conscien-  
tia recta obligat in præceptis juris affirmativis, aliter in negati-  
vis. *In præceptis negativis*, qualia sunt: non esse occidendum,  
non esse furtum committendum; dicitur obligare *semper & ad  
semper*, ita ut nunquam sine conscientia læsione agere liceat id,  
quod prohibetur tali præcepto negativò, sicut nunquam ne qui-  
dem omnipotentis dispensatione ab eorum ligamine & obliga-  
tione quis absolvi potest. Si ipsum Deum summum Legislato-  
rem mutare non posse dicunt Auctores præceptum de furto non  
committendo, de homicidio non patrandò. *In affirmativis ve-  
rò præceptis* qualia sunt, jus suum cuique tribuendum: parentes  
esse honorandos: diem Sabbati esse colendum, res longè aliter  
sese habet. Nam in iis quidem Conscientia recta *semper*, sed *non  
ad semper*, h. e. non ad omnia tempora, omnesque casus obligat,  
e. g.



e. g. Conscientia recta præscribit; Magistratui esse obediendum, hoc non obligat ad semper, ut loquuntur, i. e. ad omnes casus. Ubi enim inhonesta jubet Magister & naturâ suâ turpia, subditus in Conscientiâ suâ ad ea non obligatur. Quæ rectius ex responsis ad opposita argumenta intelligi poterunt.

Ad 1. Resp. Præceptum illud de non occidendô homine non esse intelligendum de quâcunque hominum cæde, aliâs etiam capitis pœnâ nemo plecti posset: non igitur omnis illâ lege prohibetur occisio, sed ea quæ fit privatâ auctoritate. Præscribit igitur Conscientia recta, neminem esse occidendum proprio ausu & privatâ auctoritate, & hæc Conscientia æquè obligabat Abrahamum ac alios homines, quod autem sine culpâ potuerit mactare Isaacum, illud non privatâ sed divinâ auctoritate speciali Domini mandatô potuit. Conscientia autem recta non præscribit, neminem esse lædendum, ne quidem si speciale mandatum fuerit à Deo Ter. Opt. Ter. Max. datum.

Ad 2. Resp. Conscientiam rectam dum dicit rem alienam invitô & insciô Domino non esse detrectandam, æquè Israëlitas ac alios homines obligasse. Quod verò Israëlita vasa Ægyptiorum aurea & argentea ipsis invitis abstulerunt, in eo furtum non commiserunt, cum ibi rem alienam non abstulerunt. Sustulit enim Deus materiam furti, & rem quæ aliena erat, propriam fecit, cum in ejus potestate sit, aliis bona eripere, aliis donare, & sic Israëlita non res alienas, sed proprias & quas à Deo loco mercedis pro laboribus exantlatis acceperant, abstulerunt. *Vid. Lyrâ in Comment. ad cap. 3. Exod.*

Ad 3. Resp. Conscientiam rectam in præceptis affirmativis, quale est: suum cuique est reddendum, obligare quidem, semper, sed non ad semper h. e. in quolibet casu. Unde tali in casu, si possessor est Gurges & vorago patrimonii vel Furiâ furiosior, urgente necessitate non obligat. Et tenus hæc de Conscientia rectâ: pergimus jam ad Errantem Conscientiam.

§. 19. Dupliciter autem hæc ita dici videtur: vel ut *privatim* opponitur Conscientiæ rectæ, ita ut omnem comprehendat Conscientiam, quæ non rectè judicat cum debet: quò sensu etiam dubia, scrupulosa erroneæ Conscientiæ nomine veniunt:

B 3

vel ut



vel ut *positive* illi opponitur; ita ut illam designet conscientiam, quæ aliter quidem iudicat quam res est, per ad sensum tamen firmum, quem præbet alteri quæstionis parti à dubiâ & scrupulosâ distinguitur. In præsentem sumimus Conscientiam erroneam non priori sed posteriori modo, & describimus eam quod sit *quæ dicitur id quod faciendum non est, aut contra, aut eius quod de se indifferens, oppositum malum & propterea fugiendum iudicat.*

§. 20. Periculosissimam hanc esse Conscientiæ speciem vel ex ipsâ ipsius definitione fluit, utpote ex quâ ad oculos patet, tantam ejus vim esse, ut rem, quæ aliâ suâ naturâ mala non est efficiat pessimam; in quibusdam verò planè ligat, h. e. facit, ut licet quis eâ manente procedere non possit, sed peccetur, si contra eam agatur, & peccetur quoque si juxta ejus præscriptum. Et vice versâ hæc etiam ejus indoles est, ut rem per se & suâ naturâ optimam iudicet nefandam, pessimam, summoperè fugiendam, imò rem per se indifferentem suâ naturâ nec bonam nec malam pessimam efficere optimè novit. Causa autem erroris illius est aut inconsideratio eorum, quæ debent considerari, aut prava aliqua dispositio, quæ vel mentem ab inquisitione debitâ, dum nimirum non modo diligentiam non adhibet, sed etiam occasiones discendi averfatur, odit & fugit, vel avertit eam à rectè iudicando, & quæ sunt hujus censûs alia.

§. 21. Hanc Conscientiam ab *errore* dici neminem potest fugere, ubi tamen monendum h. l. sermonem esse de ejusmodi errore, qui hominem moraliter bonum aut malum reddere potest. Nam aliâ error in actibus merè *speculativis*, qui per se nulli operationis directivi sunt, & fortè contingat in speculatione rerum, hic hominem neque moraliter bonum, neque moraliter malum reddere potest, adeoque hinc propriè non spectat. Idem sentiendum de errore in arte aliqua factò. Pertinet Ergò hinc propriè ille error, qui in *agilibus* occurrit & hominem vel moraliter bonum vel moraliter malum reddere potest. Et hic error vel contingit circa rem per se bonam aut malam, vel contingit circa rem de se indifferentem v. g. error de re per se malâ est, si quis persuasus sit contra Magistratum legitimum ultrò arma esse capienda, cum malum per se sit legitimo magistratuirebella.



bellare: Error de re indifferenti est, si quis putet die Veneris carne non licere vesci; vesci enim carne die Veneris & non vesci utrumque licet. Cui distinctioni altera etiam est adjicienda, quod nempe uterque error, tam qui habetur de re per se mala, quam qui habetur de re indifferenti sit rursus duplex, vel vincibilis, vel invincibilis. Et vincibilis quidem, quando ignoramus ea, quæ scire poteramus & debebamus; invincibilis, quando ea ignoramus, quæ nec scire possumus nec debemus. His præmissis, jam facile erit de obligatione Conscientiæ erroneæ judicare.

§. 22. Obligationem autem Errantis Conscientiæ quod attinet, non defuerunt teste Vasquezio disp. 59. c. 2. qui inficias iverunt, hujusmodi Conscientiam obligare, quam sententiam. *Becanus part. 2. Theol. Scholast. tom. 1. tract. 1. c. 4. q. 7. §. 6. Alexandro Alensi 2. part. q. 120. membr. 3. art. 1. tribuit. Durandus verò lib. 11. Sent. distinct. 39. q. 5. n. 7. dicit eam non obligare sed ligare: dicendum, inquit, quod Conscientia erronea neminem obliget, sed liget, quia obligatio non est de re illicita aut non debita. Conscientia verò hæc dicitur faciendum, quod illicitum est fieri, aut non debitum.* Verùm probabilior & verior sententia est, quæ statuit, Conscientiam erroneam, quamdiu est & manet æque obligare ac Conscientiam rectam; etenim quando certò persuasus quis est, hoc vel illud esse à se agendum vel non agendum, etiam si falsò persuasus sit, nihilominus hujusmodi dictamen homo, cui aliquid Conscientia hæc dicitur, sequi tenetur; ratio est, quia judicium hujusmodi practicum intellectus *momente Becano l. c.* est proxima regula voluntatis; voluntas ergò illud sequi debet, tanquam suum Ducem & proximam regulam, si autem voluntas deficit à judicio intellectus, deficit suâ regulâ, ac proinde recta non est. Deinde hoco stendi potest ex B. Hornejo sequenti ratiocinio: *Q. quantum in ipso est, agere vult contra legem Dei aut Principis, is peccat: At quisquis facit contra Conscientiam errantem, is, quantum in ipso est agere vult contra legem DEI aut Principis. E. quisquis agit contra Conscientiam errantem is peccat.* Similiter: Qui contemnit legem divinam, aut Principis, is sine omni dubiò peccat, nemo enim facere potest, quod lege divinâ principis vetitum esse statuit, nisi legem  
illam



illam contemnat. Ni facit, obediatur utique ei, nec committat  
quod eam prohibitum credit. Sed omnis qui agit contra Con-  
scientiam, id facit. E. ille peccat. Nec obstat, quod legi divinæ  
aut principis conformia certò modò agat, cum omne istud *ἄ*  
*συμβεβηκός* i. e. per accidens, imò ab invito fiat; non enim juxta  
sed contra legem agere ipsi animus est, & hujusmodi actio, li-  
cet vel maximè legi non adversetur, *mala tamen est & estimatur*  
*ex animo agentis, qui malum agere volebat.*

§. 23. Æquè igitur Conscientia erronea quàm recta obli-  
gat, sed tamen diversò modò; quod ut intelligatur, sequentes  
sunt notandæ regulæ: (1.) Conscientia recta obligat absolutè &  
simpliciter, quia est conformis legi divinæ vel naturæ, à quâ  
minimè recedendum. Conscientia autem erronea obligat ex  
suppositione & conditionaliter, quia putatur & supponitur esse  
conformis legi divinæ, quamvis revera non sit. (2.) Conscien-  
tia recta ita obligat, ut rectè agat, qui juxta eam agit, peccet au-  
tem qui contrà agit: At verò Conscientiæ erroneæ ea est natu-  
ra & conditio, ut si error sit vincibilis & de re per se malâ, pec-  
cat tam qui contra quàm qui juxta eam agit: Rei lumen ab ex-  
emplo est adferendum: Si quis ex errore judicat, quosvis via-  
tores esse occidendos, peccat ille tum quando eos occidit, tum  
etiam quando salvos præterire sinit. *Quando eos occidit, quia*  
*tunc aliquid perpetrat, quod est difforme legi divinæ; quando*  
*verò eos præterire salvos sinit: quia tunc secum constituit ali-*  
*quid quod sibi videtur esse conforme Legi divinæ & Naturæ in-*  
*termittere & ita Legem divinam adspernari, quod itidem sine*  
*grandi peccatò fieri non potest. Sin verò error est invincibilis,*  
*aut res indifferens, tunc alia obligandi ratio, peccat enim tunc,*  
*qui contra Conscientiam agit, non tamen peccat, si juxta eam*  
*agit, quia sequitur rationis judicium, licet pravâ opinione de-*  
*ceptum, modo error invincibilis sit non tantum in se, sed etiam*  
*in suâ causâ. Sic utique error non excusat illos, qui latrociniiis*  
*adsveti, ut jam per acquisitum habitum latrocinia licita esse,*  
*invisibiliter statuunt, quia error hujusmodi minimum vincibi-*  
*lis est in suâ causâ & poterat evitari. Quod si verò error est de*  
*re indifferenti, tunc solum peccat, qui contra Conscientiam,*  
non



non autem qui juxta eam agit. Sic Judæus quoties vescitur carne suillâ; Anabaptista quoties jurat, peccat. Huc facit quod Magnus Gentium Doctor Paulus Rom. 14. 14. inquit, ἄδὲν γὰρ κοινὸν δι' ἑαυτῶν εἶμὴ τὰ λογίζομαι τὸ κοινὸν εἶναι, ἐκείνῳ κοινὸν: nihil enim esse commune per se, nisi ei qui existimat aliquid esse commune, illi commune est. Ea quæ possunt pro eâ sententiâ, quâ statuitur, Conscientiam errantem non obligare, objici & ad eadem responderi conflictui reservabimus, ne pagina nobis invitis nimium crescat. Properamus interim ad tertiam speciem Conscientiæ.

§. 24. Probabilis autem Conscientia, quæ etiam Opinativa vocatur, est ea, quæ judicat ob rationem non quidem penitus certam, attamen non contemnendam, hoc potius quam illud faciendum aut non faciendum esse. Differt hæc Conscientia à rectâ, quia hæc certa est, hoc vel illud esse fugiendum vel faciendum, illa autem talem certitudinem non habet, sed saltem probabiliter judicat. Eadem ab erroneâ discriminatur per hoc, quia hæc putat rem quam dicit, certò ita se habere, illa autem ob rationem non penitus certam judicat. Unde liquet, duo requiri ad Conscientiam probabilem; (1.) ut intellectus ad sensum rei præbeat & ad unam partem contradictionis inclinet, idque ob certas rationes, nam ubi in neutram partem vergit, non opinativa, sed dubia Conscientia est. (2.) requiritur ut intellectus ab objecto non sufficienter moveatur, sed permixtus sit ad sensum formidine oppositi, si enim omnis formido oppositi abesset, judicium omni ex parte certum esset, & sic non probabilis fieret Conscientia. Ubi tamen notandum ex Vasquezio tom. 1. disp. 62. c. 5. n. 26. per formidinem heic loci non intelligi dubitationem, cum dubitare propriè sit pendere intellectum in utramque partem contradictionis & neutri determinatè assensum præbere. Formido autem determinatum assensum non excludit, sed in eo posita est, ut statuas rationes illius partis cui assentiris, tantum probabiles esse, non evidentes aut certas, sed fieri posse, ut reipsa opposita pars vera sit, cum tamen rationes illius id non ostendant.

C

dant.



dant. Quapropter Conscientia hæc evidens non habebit iudicium, sed tale quod semper cum metu partis oppositæ conjunctum; ita tamen ut determinatum assensum non excludat, aliàs enim diceretur *dubitans* Conscientia.

§. 25. Ut autem intelligatur, quomodo hæc Conscientia obliget, nonnulla præmittenda veniunt. Et (1.) quidem tenendum ex Vas. c. l. c. 3. n. 10. quod aliquid probabile videri cuiquam possit duplici de causâ, vel propter principia *intrinseca*, vel propter principia *extrinseca*. *Principia intrinseca* sunt, quæ petuntur ex ipsâ rei naturâ, seu ut alii ea describere malunt, sunt non modici momenti rationes adinventæ ad probabilitatem svadendam & opinionem causandam. *Principia extrinseca* desumuntur à testimonio vel auctoritate. Testimonium autem iterum duplex est, vel divinum, quod petitur ex S. Scripturâ, vel humanum, quod petitur ex viro- rum prudentum consiliò & Consensu, imò & interdum à Superiorum mandatò. (2.) Opinio, quam probabiliter sequi volumus, vel est propria vel est aliena. (3.) Si duæ aut plures circa rem agendam occurrunt opiniones, vel sunt illæ æque probabiles, vel una est probabilior alterâ; Et rursus una est probabilior interdum, sed minùs tuta, & altera tutior, sed minùs probabilis. Probabilior est, quæ pluribus aut firmioribus rationibus nititur, tutior in quâ non ita facilè peccatur, etiã si nonnunquam pauciores aut infirmiores rationes sunt, quibus illa fulcitur. (4.) Ille qui opinionem aliquam de re aliqua habet, aut est sui juris aut alteri subjectus. (5.) Denique ille aut est literatus aut est illiteratus. Hæc omnia ut rectè judicare possimus de obligandi efficacîâ Conscientiæ Probabilis, accuratè sunt discriminanda.

§. 26. His ita notatis sequentes sunt notandi Canones: (1.) Conscientia hæc æque obligat ac recta. Unde sicut is, qui contra dictamen Conscientiæ rectæ agit, peccat: ita etiã, in Conscientiâ probabili res sese habet, ut ille, qui contra eam agit, peccet, qui juxta eam, peccare non dicatur, quod multis exemplis declarare brevis instituti non admittit. (2.) In rebus



rebus fidei unicum Scripturæ testimoniū tanquam divinum præferendum est omnibus Doctorum etiam gravissimorum opinionibus, quia major est Scripturæ Sacræ autoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas. (3.) Inter duas opiniones, quarum una propria, altera verò aliena & approbata est aliis doctis viris, si propriam sequi volumus opinionem, accurate dispiciendum est, utrum tantò ingenii acumine & iudicii maturitate polleamus, ut refutatis aliorum rationibus sententiam propriam & aliis improbatam sequi possimus, nec forsitan, pusioni Herculis accommodemus cothurnos, fronti ocream, tibiæque applicemus galeam. (4.) Inter duas opiniones probabiles, ea magis est eligenda, quæ nititur aut legis aut juris sensu, quàm quæ consuetudine & usu receptò, præprimis si lex sit naturalis aut divina. (5.) Cum duæ vel plures opiniones sunt æque probabiles, tunc licet indifferenter alterutram sequi: Quod si autem una probabilior alterâ, probabiliorem ut plurimum sequi debemus. (6.) In opinionibus duabus vel pluribus de rebus criminalibus & pœnalibus amplectenda est ea, quæ benignior & melior est, juxta illud vulgatum: *pœna & odia sunt restringenda.* (7.) Si in rebus magni momenti certa sententia haberi potest, probabilis opinio deserenda est: semper enim prompti, nisi penitus in nobis simus certi & in Conscientiâ quieti, esse debemus ad audiendos quoque alios. Est enim obstinati hominis, neminem se prudentiorem agnoscere: imo temeritas est contradicere omnibus & ne artificio in suâ arte cedere. *Plures hujusmodi Canones de opinionum selectu vid. apud B. Balduin. l. 1. de Casib. Consc. c. 9. Becan. tom. 2, c. 4. q. 9. B. Hornej. lib. supra cit. §. 7. & alios plures.*

§. 27. Consideravimus hâc tenus tres Conscientiæ species propriè sic dictas, sequuntur nunc reliquæ impropiè sic dictæ, *Conscientia nimirum dubia & Scrupulosa*, quas paucis pro chartæ angustia explicaturi sumus. *Dubia est, quando intellectus neutri contradictionis parti, cum judicandum est, utrum actio sit licita vel non, assentitur, v. g. si quis dubitaret,*



utrum liceret Missæ Pontificiæ interesse, aut genua coram imagine Mariæ flectere. Dubitat autem aliquis & nescit cui contradictionis parti adhaerendum sit, vel cum simpliciter existimat rem esse planè incertam; vel cum negotium secum in utramque volvit partem, neque tamen uni horum accedit, sed utrinque ambiguus hæret, quia vel prævalentia in neutram, vel pariapro utroque occurrant argumenta. Nullum enim tunc in alterutram partem fert iudicium; sed iudicat potius, se statuere non posse, quid sit sequendum.

§. 28. De obligatione hujus Conscientiæ Auctores statuunt, quod ille, qui habet dubium, qualecunque etiam illud sit, & cum eò agit, peccet, quod probat B. Hornejus & cum ipso alii sequenti Syllogismo: Quicumque exponit se suâ sponte evidentissimo peccandi periculo, ille procul dubiò peccat, iste enim non potest non velle amare periculum tale, idcirco etiam in illo, teste S. Scripturâ Eccl. 3, peribit. At verò omnis qui dubitat an bonum sit an malum, quod facit, exponit sese evidentissimo peccandi periculo, quia ignorat quid tanquam bonum eligendum, quid verò tanquam malum fugiendum! E. Omnis qui cum dubitatione aliquid agit, peccat. Quâ de re rectissimè philosophatus est B. Dn. D. König in Cas. Consc. proœm. p. 13. cujus verba integra, cum magnam lucem fœnerari nostræ sententiæ videantur, adscribere non pigrabimur: *Ideo, inquit, dubiâ Conscientiâ agentem graviter hallucinari, imò de dubiâ Conscientiâ certum esse, quisquis ex illâ operatus fuerit, eum ipsum peccare, quia propriè loquendo talis operans, agit præter Conscientiam. Secundum enim Conscientiam agere non potest, quia nulla est, nisi æquivoca, ut pictura homo est, nec contra propriam Conscientiam agere potest, quia sic & aliter agere permittit Conscientia Dubia. Agit E. præter Conscientiam, id quod verissimum est. Et sanè qui dubiâ Conscientiâ aliquid agit, & idèò periculo peccandi sese exponit, videtur velle peccatum, quia nec ulla adest probabilitas aut opinio, cur in hanc potius quàm illam feratur partem, cum utriq; sicut bonum ita & malum inesse posse putet, & ita dum*  
ad al.



ad alteram partem se convertit, ad id se convertat, cui facile  
inesse potest malum, quod dum facit, videtur omnino velle  
peccatum, nisi enim vellet, non ageret. Denique idem Scri-  
ptura asserit Rom. 14. 23. ὁ δὲ διακρινόμενος ἐὰν φάγη, κα-  
τακένεται: ὅτι σὺ ἐκ πίστεως. Πᾶν δὲ ὁ σὺ ἐκ πίστεως, ἁμαρ-  
τία ἐστίν. *Qui iudicat si ederet condemnatus est, quoniam non  
edit ex fide. Porro quicquid ex fide non est, peccatum est.*

§. 29. *Scrupulosa tandem Conscientia est, quando intel-  
lectus in questione quâdam uni contradictionis parti adheret, sed  
quia contrariis urgetur argumentis, scrupulum accipit, adeoque  
anxietate torquetur, ut quid agendum sit, nesciat. Oritur au-  
tem huiusmodi Conscientia scrupulosa ex variis causis, inter-  
dum ex incitiâ, ut in indoctis & plebejis, interdum ex Dia-  
boli suggestione, ex imbecillitate cerebri, ex malâ corporis  
constitutione. Item: Ex Temperamento melancholicô, & in-  
terdum etiam ex peculiari DEI providentiâ, qui homines ob  
admissa peccata ejusmodi scrupulis exercere adsolet.*

§. 30. Hôc in casu ante omnia videndum est, utrum  
scrupulus, qui nos urget & angit nitatur probabili ratione nec  
ne? si probabili ratione nititur, sequi possumus eundem; sin-  
minus, ejiciendus & animus anxietate frustrâ conceptâ libe-  
randus est, quod quomodo fieri possit docent illi, qui de Ca-  
sibus Conscientiæ scripserunt. Nos obfirmamus Disputatio-  
nem nostram verbis Hugonis lib. 2. de Anim. c. 9. qui de Bo-  
nâ Conscientiâ sic disserit: *Bona Conscientia, inquam, titulus  
est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus de-  
liciarum, aureum declinatorium, gaudium Angelorum, arca  
fœderis, Thesaurus Regis, aula DEI, habitaculum Spiritus San-  
cti. Qualem Conscientiam quietam Deus Ter. Opt. Ter. Max.*

*Dominus Conscientiarum omnibus & singulis cœlitus  
largiatur, cui sit LAUS, HONOR & GLO-  
RIA in ÆTERNUM.*





*VIRO-JUVENI*

*Per - Eximio & Politissimo*

*Dno.*

**STEPHANO FUHRMANNNO,**

*Phil. & SS. Theol. Cultori strenuo,*

*Fautori & Amico suo Dilectissimo, Ho-*  
*noratissimo,*

*cum,*

*alterâ vice publ. conscenderet cathedram, fau-*  
*stos conatum successus pr.*

*\*\*\**

**T**E vice plus unâ juvat adscen-  
diffe cathedram:

**Laus plus unâ tempora cin-**  
**ctus eas!**

*Festinatiss. cal. fac.*

**GEORG. GOEZIUS,**

*Moral. P. P. Facult.*

*Phil. h. r. Dec.*

---

**I**N vetitum ruimus proni, cupimusque ne-  
gata,

*Et voto contra nitimur orbe Deum.*

*Sed*



*Sed pavor atque reo terror cum pectora pul-  
sant,*

*Et gelido torpent languida membra motu.  
Tum demum agnoscit mœrens peccata, De-  
umq̄*

*Et timet & miseris angitur ille modis.  
Fas odisse igitur deductum ab origine prima  
crimen, & à vitiis abstinuisse manus.  
Hoc Fuhrmanne facis, & vitæ robor a prima  
conaris sancto ritè sacrare Deo. (cti  
Sictua labe carens mens posthac conscia re-  
Invidia stimulos duraque fata fugit.*

*Præstantissimo Dn. Resp.  
honoris ergò scrib. festinabund.*

*JOH. Frischmuth/  
Lingg. Sacr. P. P.*

**C**Onscia mens tibi spesque animosque in  
recta decori (tuis.  
lumina pro meritis fertque rapitque  
Hinc Salana tuos probat & læta excipit ausus,  
virtutisque dehinc digna brabea locat,  
Hanc reliquis mentem superi dent fataque fa-  
justa! Pari tollent præmia, vota sono. (ctis

*Id raptò, sed rato ad Deum voto desiderat,  
prospera precatur Dn. Disputatori*

*Philippus Müllerus P. P.*





*VIRO-JUVENI*  
*Politissimo atque Per-Eximio*  
DN. STEPHANO FUHRMANNO,  
Philosoph. Candidato  
*Amico & Auditori suo honorando*

*cum*  
ritum Cathedram Philosophicam adscenderet  
Tò Eū!

**C***onscia mens recti perdocto discutit ore,  
Quid mentis stimulus, quidque ani-  
mi furia.*

*Si rectâ pergas, dubios sperâsque rumores,  
Et fies doctus, commoda plura feres.*

M. Joh. Christophorus  
Hundeshagen.






Jena, Diss., 1668 Fr-Schr

TA. 02

ULB Halle

3


004 844 785



1668









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



~~XXIX~~  
1668, 22

ACADEMICUM  
SENTIA, 2

CLEMENTER  
NTE  
Almâ Salanâ

ESIA  
*Præclarissimi*  
ISTOPHORI  
SIMÆ FACUL-  
CÆ p. t. ADJUN-  
EBERRIMI  
I M I.

*subjicit, ac disputando*  
*tueri conatur*  
IR MANNUS,

IPPPIENSIS.  
Soporum  
lii.

E  
valdiano,  
LXIX.

